

**Disputatio medica inauguralis de usu sanguinis mittendi in quibusdam morbis ... / eruditorum examini subjicit Thomas Simpson.**

**Contributors**

Simpson, Thomas, 1788-1863.  
Woodforde, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Jac. Ballantyne et socii, 1825.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jbmy9cef>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







- (15.)

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**USU SANGUINIS MITTENDI**  
IN QUIBUSDAM MORBIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

**THOMAS SIMPSON,**

*Anglus,*

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. NECNON PRÆSES ANNUUS.

---

*Navim agere ignarus navis timet; abrotonum ægro  
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est,  
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.*

HORAT. EPIST. II. I. 114.

---

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

**EDINBURGI:**

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

---

MDCCCXXV.

DISPUTATIO MEDICA  
IN AUCULAS  
DE  
ESU SANGUINIS MITTENDI  
IN QUBUSDAM MORBIS

THOMAS SIMON  
MEDICUS  
D. GEORGI HALLI, M. P.  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

THOMAS SIMON  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

THOMAS SIMON  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

THOMAS SIMON  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

THOMAS SIMON  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

THOMAS SIMON  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS  
ACADEMIAE KIVATROVENSIS PRÆFECTUS

VIRO SPECTATISSIMO ET AMICISSIMO  
THOMÆ SLINGSBY, BARONETTO,  
DE SCRIVEN,  
IN AGRO EBORACENSI,  
BENEVOLENTIA AC ARTIBUS INGENUIS  
ORNATISSIMO,  
HOC OPUSCULUM,  
PARVUM SED SINCERUM  
REVERENTIÆ ET OBSERVANTIÆ  
TESTIMONIUM,  
SACRUM ESSE VULT  
AUCTOR.



RICHARD J. THOMPSON, ASSURER,

DE KIRBY HALL,

St. John St.

1850

INGENIO ET PROBITATE SEQUE IN OMNI

SCIENTIAE INVENTORUM ET PHYSICORUM

PHYSICIS ET CHEMICIS

DE PACE ET

AMICIS ET BENEFICENTIA

DE OMNIBUS

CONSTITUTIS

ADACTIS

NECNON

JOANNI SIMPSON, M.D.

CONSANGUINEO SUO

ET AMICO CARISSIMO,

NON MINUS ARTE APOLLINARI PERITO,

QUAM VIRTUTE ET SCIENTIA

EGREGIO,

OB NOSTRÆ JUVENTUTIS MEMORIAM

MINIME INJUCUNDAM,

HOC LIBELLUM

INSCRIBIT

T. S.



To

Dr. J. Woodford  
With the best wishes of his very  
sincere Friend the Author.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
USU SANGUINIS MITTENDI  
IN QUIBUSDAM MORBIS.

---

AUCTORE T. SIMPSON.

---

“ LA médecine n'est l'ouvrage ni d'un jour, ni d'un homme, mais bien le résultat de trente siècles d'observations cliniques, de divagations philosophiques, physiques, et chimiques, de recherches anatomiques, et d'expériences.—Fille du temps et de la pensée, c'est une parcelle de cette vérité que l'homme ne peut qu'entrevoir. Si de nos jours elle brille d'un plus vif éclat, honorons sans bassesse et sans envie ceux qui l'ont portée à ce degré, ne fermons pas les yeux pour ne point la voir et dire qu'elle n'existe pas.”—JOURDAN.

---

CORPORIS humani structura, tam mirabilis tamque apta consiliis quibus destinatur, effectum sapientiae divinae nobilissimum sese ostendit. Apparatum videmus, variis officiis, felicitatibus, gaudiisque vitae idoneum. Quod ad locomotionem refert, omnia ita facta sunt, ut etiam motus complexiores facillimi evadunt; et exer-



citatio modica organorum quæ iis motibus inserviant, miro modo ad cujusque sanitatem salutemque conducunt. Quum autem contemplerur intellectûs apparatus, structuram organorum sensûs exquisitam, facilitatem quâ operant, earum facultatem rerum exteriorum animum faciendi certiolem, ideas ita acquisitas comparandi, consociandi, judicandi, mirando obruimur, totumque esse opus sapientiæ infinitæ, atque intelligentiæ consummatæ, fateri compellimur.

Ingenium NEWTON sese ad regionem astrorum attulit, facilesque homini intellectu, leges omnipotentis, ordine, pulchritudine, et harmoniâ motuum corporum celestium ostentas, efficit. Mens alta BACON circulum scientiarum perscrutata est, earum connexum mutuum demonstravit, legesque studendi atque indagandi proposuit; intra fines precisos aberrationes indolis humanæ reduxit. Viri illius celeberrimi scripta magis ad vigorem ipsius ingenii referunt, quam ad sæculum quo vixit: tabulam delineavit, quam depingere, omnes sæculorum labores vix sufficient.



Atque evidens est, ut talis fabrica corporis mentisque, ad mala proclivis ex necessitate foret; magisque mirandum est, quod læsiones structuræ ac functiones abnormes haud sæpius acciderent, quam quod quidam homines morbis omnino expertes, per totum sæculum, vitam degerent.

Ab excellentia et perfectione humanæ structuræ; ab organis ejus innumeris, tam variis quoad formam et functionem, et a sensibilitate quâ prædita est, ab operatione complexi ejus generis nervosi, constat, homines, quam animantia simpliciora, multo morbis esse procliviores. Origo morborum uberrimus sunt causæ externæ, velut frigus et calor, temperiei vicissitudines repentinæ, ingesta, contagium, mentis pathemata, præsertim quæ ex nimio Bacchi aut Veneris oriuntur, qui quoad gradum variant, a mera functione abnorme, usque ad partes, quæ vitæ omnino necessariæ sunt, deletas. Varios effectus ita inductos auferre, vel, aliis verbis, morbis quibus corpus humanum pronum est medere, res est maxime medicis scrutanda atque investiganda. Etiam si complures sunt causæ mor-



borum, probârunt observatio atque experientia, varias eorum mutationes a diversa corporis organorum structura pendere. Initio vero omnium morborum, saltem in plerisque exemplis, corpus similiter se habet.

PLATERUS primus nosologiam iniit : \* opus hujusmodi fecit, ubi symptomata dominantia basis sunt classificationis. Hoc tentamen solum ante sæculum octavumdecimum de hac re habuimus. Felix vero consilium Botanicorum vestigia sequendi, qui vegetabilia secundum quædam externa in classibus collegerint, nostro præclaro SYDENHAM debetur ;—mihi quidem videtur quod viri illius celeberrimi auctoritate usus, initium nosologiæ ejus methodicæ, FRANCISCUS BOISSIER DE SAUVAGES posuit, operi magis laboris improbi quam ingenii, eruditionis insignis quam sani judicii. Extemplo multi de hac re assurgunt scriptores, quorum eximii sunt LINNÆUS, VOGEL, SAGAR, MACBRIDE, CULLEN, SWEDIAUR, et GOOD, omnes quidem doctrina

---

\* Vide Tentamen ejus de Classificatione Morborum, in Praxe Medica, 3 tom. Basil. 1628.



inclyti : medico vero practico “ Synopsis Nosologiae Methodicae,” quam CULLEN in lucem protulit, omnino optima est.

Cuiquam symptomatum congregationi nomen proprium dedit, signaque discriminantia iudicio notavit. Si classes ejus consideremus, nobis evidens erit, signum inflammatorium seu febrile cujusque generis, perplanum esse in quoque ordine Classis Pyrexiarum. Nihilominus, haud reticendum est, eundem statum corporis locum habere, nempe febrem, in quibusdam stadiis plurium generum aliarum classium. Et quidem forsitan audaciter dicere liceat, morbos perpaucos esse, ubi *læsio fit* \* post mortem manifesta, haud actione inflammatoria, vel saltem febrile, in quadam parte progressûs notatos. Hæc opinio, me iudice, testimoniis nuper allatis optime vindicatur ; mihi que nobis ita licere inferre, secundum principia philosophiæ Baconiæ, persuasum est. Minime de hac re du-

---

\* Quale altro argomento più degno di questo della nostra attenzione se non si trovan due cadaveri in cento, né quali i disordini, ed i guasti, che a tristo fine condussero la malattia, non siano processi flogistici?—TOMMASINI.



bitandum est, propter inquisitiones innumeras magnasque, hic et per totam Europam de Pathologia atque Anatomia morbosî corporis factas.

Inter annos viginti jam elapsos, de febre magnopere atque insignibus auctoribus investigatum est, maxime ejus mutatur Pathologia, locoque methodi empiricæ olim secutæ, curatio a principiis rectis, et examinatione accurata morbi phænomenorum originem ducentibus, pendens, adoptata est. Quamvis vero sanguis diu, nempe ad medium usque sæculi elapsi, febricitantibus a medicis, falsis licet principiis, detractus est, hic modus medendi fere obsolescebat. Inter plurimos auctores, qui tam gravem mutationem efficere conati sunt, nostrates præeminent: labores BEDDOES, CLUTTERBUCK, JACKSON, ARMSTRONG, DUNCAN, GRAHAM, CHEYNE, MILLS, STOKES, WELSH, &c. ultimâ memoriâ posteris tradentur, spectatis eorum ardore et ingenio, ob vigorem curationis quam in primis stadiis febris adhibuerunt.

In plurimis morbis plane ac manifeste adest actio inflammatoria, quæ monstratur gradu



symptomatum ; modusque medendi qui huic statui optime obvenit, maxime prodest. Haud raro verum accidit, quod in quibusdam exemplis, hæc conditio tam indefinita est, ut ægre medico detegenda est. Ac experientia omnis medici scientiâ probe imbuti, interdum præbet exempla, ubi, post mortem, apparet structura læsa inflammatione febre stipatâ ; et ubi a symptomatibus, dum vita durârit, talis effectus haud omnino suspectus esset. Aliis vero, ubi symptomata injuriam quam sustinuerunt quædam partes, esse immedicabilem indicârint, ne aliquid quidem efficere possit medicus, nisi symptomata urgentia levare ; talia sunt opprobria medicinæ.

Quasi lex assumendum est, paucis exceptis, ut arbitror, quod causæ innumeræ morborum quæ febrem atque inflammationem excitare possint, prout ætas, habitus corporis, temperamentum, hominisque anterior salus, intendantur ; et phænomena morbi vehementiora sunt, cursus velocior, et mutationes majores. Quamvis vero hoc sit concessum, tamen, feбри homines robustiores esse procliviores, minime sequitur. Con-



trarium huic plerumque accidit; nempe, temperamenta imbecilla, et genera nervosa sensibilia, aptiora ad febrem esse.

Confitendum est, variis temporibus varias esse methodos medendi ejusdem morbi, et in quibusdam exemplis, alium aliam curationem usurpare: inde quibusdam placet, medicinam incertam esse scientiam. Etiam si curatio in omni sæculo diversa fuit, secundum hypotheses et theorias tunc temporis grassantes, tamen CABBANIS satis probavit, medicos peritissimos semper remediis usos esse, quæ, quamvis inter se diversa, eundem effectum induxerint. Exempli gratia, puta morbum omnibus phænominis actionis vasorum auctæ notatum, quum theoria ipsam detractionem sanguinis vetavit, alia evacuantia adhibita sunt, qualia sunt emetica, purgantia, sudorifica, et quidem morbus hoc modo curari posset, ubi symptomata non essent tam gravia, ut corpori pessime nocuerint antequam arcesseretur medicus.

Arguere sanam methodum, quia ea interdum abusum esset, æque ridiculum foret ac dicere scientiam, quia sine medicina quidam febrici-



tantes convaluerunt, nil valere ad hunc morbum medendum. CABANIS \* ille, optimam quidem scripsit dissertationem de certitudine medicinæ.

Inter varia remedia quæ in plurimis morbis, et præcipue in febre et inflammatione, usurpata sunt, detractio sanguinis præeminens fuit. Laudat enim HIPPOCRATES multis morbis. Et de hac re GALENUS dissertationem scripsit; (vide Epistolam ejus ad Erasistratum.) Scripta hujus celeberrimi viri per sæcula sequentia, ubi in tenebris sepulta latuit omnis scientia, multum valuerunt: et minime dubitandum est, quin, ubicunque dominârit ejus auctoritas, hoc remedium latissime adhibitum esset. Post literas et artes ingenuas renascentes, multæ et validæ erant causæ quæ mentem humanam antrorsum impulerint. Homines subito cognitionem rerum uberiores adepti sunt: vinculaque exuerunt quibus, tam diu tamque turpiter antiquorum auctoritate, tam in religione quam in scientia, coacti sunt. Neque nihil hæc vicissitudo

---

\* CABANIS sur la Certitude de la Medicine, 1803.



medicinæ profuit: doctrinæ enim communicatione tam facile à typographia tam feliciter inventa evasâ, labores cujusque regionis per omnes vicinas gentes diffusi sunt. Et propter magnos anatomiæ professores, qui cito medicinam ipsam mutarent, semper sæculum sextumdecimum erit memorandum.

Eo tempore VESALIUM videmus, in omnibus de anatomia disputationibus, fortiter ad corporum animalium structuram referentem, potius quam ad auctoritatem GALENI. Eumque sequentes, usque ad ævum nostratis inclyti HARVEY, complurimi sunt auctores qui de omni parte medicinæ scripserunt. Neque vero nullos habemus qui detractionem sanguinis in plurimis morbis laudârint. Etiam in dissertationibus de hac re sola, sicut VALLA, COLLIMITIUS, BOTALLUS,\* AUGENIUS, MONTE, &c.

---

\* “ Léonhard Botal donna une tournure tout à fait originale au traitement des maladies ; il était disciple de Fallope. Jusqu'à cette époque, les médecins Français n'avaient pratiqué la saignée qu'avec beaucoup de circonspection et dans des cas fort rares. Mais Botal la recommanda non seulement contre toutes les affections compliquées de malignité, mais



Autem cognitionem sanguinis circuitûs eo tempore primo adeptam, cito secutum est systema omnino ad rationem magis spectans ; et inde medicina majores fecit progressus, quam per compluria sæcula antecedentia.

Inter scripta SYDENHAM et MORTON, medicorum contemporaneorum Londini, eundem eodem tempore morbum narrantia, maximum et mirabile est discrimen ; illius methodus felix medendi multum pro sanguinis detractioe testatur, non solum in febre et morbis inflammationis, sed etiam in plurimis aliis, ubi magnopere profuit. Et forsàn observare licet, quod SYDENHAM, qui mentem tam capacem habuit, et qui tam bene novit vim et sanguinis missionis utilitatem, plerumque parcas usurpavit abstrac-

---

encore, contre la Goutte. Il faisait réitérer l'opération jusqu'à quatre et cinq fois. Elle est surtout indispensable dans la dyssenterie, parce qu'il existe une très-grande affinité entre cette affection et la peripneumonie. Dans ses campagnes, il a obtenu instantanément des effets salutaires de la saignée en la pratiquant chez des individus atteints de fièvres malignes compliquées d'hémorragies nasales." — Vide *Histoire de la Médecine, par Sprengel.*



tiones, potius quam plenas, quæ breviori tempore, et viribus corporis minus fractis, quod propositum erat effecissent. Nihil de sanguinis missione in febre evidentius, aut magis explicitum esse potest, quàm Theoremata quæ clarrissimus HOFFMAN,\* fere centum abhinc annis, edidit in dissertatione sua quam de hac re scripsit. In hoc libro, ea quæ usum remedii vindicant et requirunt, optimo quidem modo dinumeravit. Celeberrimus JACKSON à febricitantibus sanguinem liberrime detraxit, eo quidem tempore et morbi stadio ubi pene usus remedii obsoleverat. Et haud dubitandum est, quod methodus medendi valens et efficax, qua utebatur ille scientiæ veteranus, cujus gradus medico-militaris præclarus, plures occasiones sibi præbuit effectus febris videndi, quam ullus alius unquam possidebat, multum ad remedium renascentem conduxit.

Post hoc tempus, febris attentionem medicorum plurimum sibi vindicavit; et sequelæ morbi, in cadavere visæ, ingenio philosophorum scruta-

---

\* Vide Opera omnia HOFFMANNI, folio, tom. 6.



tæ sunt, præsertim quod ad causas. Hæ investigationes pathologiam rationalem et perspicacem effecerunt, ideoque curationem feliciorē, quam methodus illa incerta et fere empirica, quam per spatium viginti quinque annorum antecedentium medici adhibuerunt.

Quanquam de causa proxima febris semper variæ fuerunt sententiæ, et quamvis adhuc sub iudice lis est, de iis quæ sequuntur sola esse potest opinio; investigationes enim eorum qui accuratissime perscrutati sunt exempla innumera morte secuta, fere semper læsionem structuræ, vel alios inflammationis effectus, in capite, thorace, aut abdomine, et nonnunquam in omnibus his simul, invenêre; et a pluribus recentioribus et haud parvi momenti auctoribus, comprobatum habemus hos effectus\* eosdem esse in cadaveribus hominum qui hoc morbo correpti sunt, in omni† febris varietate, et in omni regione.

---

\* Vide "Clinique Medicale," &c. par M. LERMINIER, 1823.

† "E quale altra materia potrebbe più di questa impegnare i Patologi, ed i pratici, se non v'ha quasi malattia come dichiarai quindici anni già sono, e come confermai con



Hæc opinio, quamvis mirabilis videatur, testimoniis maxime credendis statuta est. Etsi vero plurimi sunt medici, qui impossibile esse dictu, quatenus hæc phænomena causæ sunt morbi, vel potius effectus contendunt, faustum quidem est, hancce quæstionem decisam, necne, omnino non usum sanguinis missionis refellere, quoniam, quocunque modo hos effectus febris afferat, lethiferos esse constat, nisi remedium cum judicio adhibeatur.

Detractio sanguinis dicitur universa, vel localis; universa, quum à magnis vasis, tum arteriis cum venis fit; plerumque hoc modo adhibita plena est missio. Localis, cum ope hirudinum, incisionum leviorum (anglicè “scarifications,”) et cucurbitularum fit, morbo non tam grave ut aliter detrahi requiret.

Effectus sanguinis missionis in universo corpore nunc describam, et de morbis quibus maxime

---

sempre maggiore convincimento, se non v'ha dissi, malattia quasi, acuta o cronica che sia, soprattutto febbrile, che da qualche infiammazione non dipenda?”—TOMMASINI.

prodest paulisper disseram; ea præcipue quæ ipse vidi dinumerabo.

Sanguinis missio, prout magnitudo et duratio rivi, vel copia qua abstrahitur, plus minusve imbecillum vel debile corpus reddat. Pulsus cordis et arteriarum et minus validi et minus frequentes evadunt; exonerato apparatu vasculari generali, pulmonario, et capillario, minuitur frequentia inspirationum et expirationum; concoctio et nutritio sensim imbecilliores fiunt: hoc remedio glandulæ secernentes relaxantur, et ergo mutantur secreta. Vis nervea et muscularis debilitatur, dolor minuitur, cerebrumque et organa sensuum mire afficiuntur et hebescunt. Detractio igitur sanguinis remedium ex validissimis quæ continet materia medica habenda est, propterea quod effectus ejus omni corporis organo seriatim communicantur. Itaque vim adeptus est medicus, ope cujus operationis universum corpus afficere potest, et alios alio modo producere effectus; atque ita in unumquodque organum validissimeque agere. Hæ locales remedii administrationes, maximi momenti reddunt, ea quæ effici possunt. His rebus ita per-



spectis, facile visu erit, quod methodus medendi tam generalis et tam valida, quæ morbis cujusque organi applicari potest, magnas gravissimasque mutationes in omnibus his malis inducere necessario oportet, quandocunque virium vitalium excitationem, vel humorum vim et molem minuere sit necessarium. Sanguinis igitur missio, in affectibus hac *idiosyncrasia* stipatis, et præcipue in omnibus inflammationibus, vel acutis, vel chronicis, et in morbis qui à *plethora* generali seu partiali pendent, adhibita est.

Quum sanguis a locis specialibus abstrahitur, plerumque eadem efficit; magnopere quidem agit vasis capillaribus evacuandis, sanguis majore abundantia illuc fluit, ut optime probatur ab *ecchymosi*, quæ interdum accidit a sensibilitate aucta partis: si quantitas sanguinis hoc modo abstracti semilibram excedat, præter effectus locales, etiam generales quos supra memoravi sequentur. Locales in partibus vicinis maximi sunt; præsertim in tela cellulosa, musculis, tendinibus, capsulis articularibus, et synovialibus, manifesti quoque in organis quæ in magnis cavis



corporis continentur, etiam quum libere pendent a membranis quibus vestiuntur.

Atque experientia diurna probavit, ab abstractionibus *topicis* affici, cerebrum membranasque ejus, pulmones, pleuram, pericardium, ventriculum, variasque intestinorum partes, quum extrahitur sanguis a partibus cutis quæ organis affectis respondent. Nihilominus hujus remediî vim prodigiosam animus vix concipere potest; quoniam tantum abest ut communicationes inter vasa sint directæ: et quia nec anatomia nec physiologia recte hoc explicârunt. Sæpe observanda sunt, quæ oriuntur ex hirudinibus prope partes membrana mucosa vestitas, vel ipsis membranis applicatis; et experientia docet hirudines multo magis valere, tunicæ conjunctivæ quam cuti impositas, in ophthalmia; hoc quidem haud aliter se habet quum circa anum, &c. usurpantur, sed hîc loci communicatio recta, ope diversorum contextuum, effectus faciliores, quam in exemplis prioribus, conceptu reddit.

Effectibus sanguinis detractionis universæ et localis conspectis, latissime patebit, quod prior, propterea quod corpus afficit modo magis gene-



rali et deciso, præponi oportet in omnibus inflammationibus, ubi totius hominis functiones male se habere videantur, et in omni exemplo ubi in totam molem sanguinis actionem indere proposuimus.

Et etiam in *Phlegmasiis* uniuscujusque organi, ubi tam violentæ sunt, ut totum corpus quodammodo afficiant, detractio generalis certe anteponenda est, quoniam hæc conditio optime intensionem earum monstrat, et periculum quod ex eis provenire possit, indicat. Etsi vero arteria vel vena longe a morbi sede secta fuerit, nihilominus repentini et universi erunt effectus, siquidem in totum corpus per circuitum sanguinis agit. Levata vehementia symptomatum urgentium morbi, perutiles erunt locales missiones, ut quæ statim partem afficiant, et usui generalium supersedant, et levamen morbo, viribus hominis minus consumptis, æque præbebunt.

#### DE EFFECTIBUS SANGUINIS DETRACTIONIS IN QUIBUSDAM MORBIS.

DE iis quæ mihi dicere sit constitutum, intelligendum est, scilicet in pluribus morbi speciebus,



quibus medici hoc remedium usurpant, uti debet medicus\* methodo rigide antiphlogistica, et iis evacuantibus quæ in usu diurno sunt, sicut purgantia, diaphoretica, medicamina quæ nauseam movent; quæ, etsi per se tollere morbum haud sufficiant, attamen magnopere adjuvare queant. Ubi plane adsunt indicia violenta febris ac inflammationis, plerumque medicis præscribitur, talia remedia adhibere qualia simul idem efficere conferunt, nempe, actionem inflammatoriam redigere, atque alia quæ optime symptomata magis urgentia levent. Atqui persuasum mihi est, quod in iis febris exemplis, ubi actionis auctæ testimonium haud ita validum est, ut usum remedii requirat, imbecillitas quæ sequitur semper major est, a morbo progrediente et vires ægri frangente, quam a curatione magis decisa. A nu-

---

\* “ Tali sono i suffragj di esperti ed illuminati Patologi, pe' quali io credo poter sostenere a buon' dritto che l'infiemmazione, qualunque sia l'universal condizione del corpo in cui si accenda, qualunque l'esito che le succeda, che l'infiemmazione, dissi per ciò che in se stessa e ne' luoghi che ne sono idiopaticamente attaccati, è sempre un processo di stimolo accresciuto, e non è altronde curabile, che con rimedj antiflogistici o deprimenti.”—TOMMASINI.



mero ægrotantium qui sub diversis methodis convaluerint, sunt qui putent quemque modum æque efficacem esse, et, quæcunque sit curatio, eundem esse numerum mortuorum. Etsi vero ego hoc interdum accedissem credo, imo quosdam a natura ipsa curari, haud satis reprobanda est sententia tam a veritate aliena, et omnibus exemplis quæ ipse vidi tam contraria.

In inflammationibus, dolore et iis signis quæ species acutiores indicent, stipatis, pauci sunt medici qui hoc remedium adhibere, et etiam iterare hæsitarent, quoties ita facere necessarium sit; et sæpe, posteaquam dolor et alia indicia obnoxia cessarant, mihi opus fuit operationem repetere, præsertim si secretiones membranæ mucosæ haud restitutæ fuissent. Et longa experientia mihi persuasit, morbum haud raro sese subacutum monstrare, si, absente dolore, intermittatur remedium.—Optimum illud quod BROUSSAIS de hac re.—“ La chronicité de l'inflammation recon-  
nait différentes causes; mais elles opèrent toutes par le même mécanisme; c'est toujours l'action continuée d'un stimulus, qui empêche l'inflammation de se calmer. En effet, si le stimulus, qui



a donné la première impulsion au mouvement inflammatoire, n'est point renouvelé dans la partie malade, ce mouvement, qui ne peut avoir qu'une durée déterminée, ne saurait manquer de cesser. Si donc on voit l'irritation persister, on peut assurer qu'il existe un stimulant local, et presque toujours il peut être aperçu par un médecin attentif.

“ La modification vitale qui produit les phénomènes de l'inflammation a son siège dans les vaisseaux capillaires, et dépend manifestement de l'augmentation de leur action organique.

“ Toute exaltation locale des mouvements organiques assez considérable pour troubler l'harmonie des fonctions, et pour désorganiser le tissu où elle est fixée, doit être considérée comme inflammation.”

Exempla vetera inflammationis, missionem frequentiorem adhiberi requirere videntur quam recentiora, ubi morbus violentior apparet, sed cito levatur, idoneis adhibitis remediis. In ægris irritabilibus, ubi magnus adest dolor, sanguine bis terve detracto, opium administravi magno cum profectu, rebus ita se habentibus ut mihi



fas credere fuit, id missiones ulteriores supervacaneas reddidisse. Et quidem censeo, hoc medicamentum sæpe post detractionem liberam, etiam quum *Diathesis Sthenica* adhuc perstitisset, omne inflammationis indicium sustulisse, quamvis in eo exhibendo solum propositum fuit, quoddam symptoma vehementius levare. At mihi, me nunquam ausum esse id æque libere ac Dr ARMSTRONG in Enteritide et aliis morbis adhibere, fatendum est.

Ubi dolet caput, præsentè plenitudine, congestionè, vel inflammatione, sanguis libere variis modis missus, optimum quod cognoscimus remedium est.

Septuagenarius subito apoplexia corripitur; sanguis è capite et brachio ad uncias XCVI. detractus est: convaluit æger, etiamque septem insuper vixit annos.

Thoracis multi neque parvi momenti sunt morbi, et quanquam in specie variant, tamen sese ostendunt signis, quæ multum sublevare possumus hujus remedii adoperatione, quæ, nimis cauta, morbum, modo vitæ valde obnoxio, inveterare sæpe permisit. Atque arbitror ple-



rumque remedium haud tantum quantum potest prodesse. Multum medicos docuit opus æstimabile LAENNEC, de variorum thoracis morborum pathologia, et quamvis accuratissime naturam et varietates tuberculorum quæ in pulmonibus apparent, descripsit, ab opinione sua de eorum suppuratione omnino dissentio.

Si tubercula inorganica esse probantur, id quod credunt plurimi et maximi auctores, constare videtur, omnes causas quæ ea mutant solum agere posse, mediante contextu vicino; et ab iis quæ expertus sum in phthisicis medendis, arbitror, has causas omnes consociari vel pendere ex partium vicinarum inflammatione activa. Et hanc sententiam confirmari puto a Dre. ALISON, in dissertatione sua excellente de morbis scrofulosis.

Et RUSH *Philadelphus* plurimis annis elapsis, optimas observationes practicas de phthisi tractanda in primo stadio, quod quidem solum est ubi valet medicina, edidit. Atque hoc mihi tam verum esse persuasum est, ut ægros a dispositione hæreditaria vel forma corporis, phthisi



proclives symptomatibus catarrhi \* laborantes, sanguinis missione et regimine antiphlogistico semper tractavi.

In sanguine iis detracto, sæpe indicia diathesis inflammatoriæ observavi, ubi eadem symptomatum series homini robustiori nocere non potuisset. Optimum illud quod dixit RUSH, hos phthisicos plurimas excitationis accessiones subire, quarum quæque unum alterumve tuberculum suppurationem versus produxit : ultima accessio quæ mortem affert, raro symptomatibus prioribus magis violentis stipatur, et magis iis persistentibus quam violentis, vel periculum monstrantibus, suspecta est.

---

\* “Les sangsues placées à la partie inférieure du cou, entre les insertions des muscles sterno mastoïdiens, enlèvent le catarrhe bronchéque, et préviennent la phthisie pulmonaire.”

“Les sangsues placées autour des clavicules et sous les aisselles, arrêtent les progrès d'un catarrhe qui vient de s'introduire dans le lobe supérieur, et qui aurait infailliblement produit la phthisie pulmonaire. Un son mat ou moins clair, tout récent, annonce que le catarrhe a pénétré dans le parenchyme, et indique qu'il faut insister sur les saignées locales.”—BROUSSAIS *Examen. des Doctrines Médicales.*



De hoc morbo longius disserui, maximi esse momenti arbitrans. Mala, quæ pneumoniam male tractatam sequuntur, innumera sunt; et talibus structuræ læsionibus associantur, ut prorsus immedicabilia sunt; et nihil a medico etiam peritissimo effici potest, nisi, quæ vitæ miserandæ haud separanda sunt, levare.

“ Equidem sic arbitror, etiamsi multa fallant eos, qui aut arte, aut conjectura divinare videantur, esse tamen divinationem; homines autem, ut in cæteris artibus, sic in hoc posse falli. Potest accidere ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum, potest aliquod latuisse aut ipsum, aut quod esset illi contrarium.”\*

Viscera abdominis, a variis et insignibus eorum functionibus, diversa structurâ sunt, aliaque aliis connecti reperiuntur: et morbo quodquam afficiente, cito functiones unius vel plurium vicinorum abnormes fiunt. Unde criuntur innumeri et complexi morbi, qui varia hujus cavi organa corripunt, et qui, a consensibus innumeris apparatu nervoso Ganglionico pendentibus, conjunguntur et obscuri evadunt. Cujusvis visceris inflammatio, symptomatum congregationi origi-

---

\* Cicero.



nem præbet, quæ plerumque cûm acuta, satis discreta sunt, ut morbi sedem medicus cognoscere possit, et morbus, methodis promptis adhibitis, cedit.

Sanguinis detractio maxime ad hocce malum curandum valet, et sæpe liberrime utenda est. Horum viscerum inflammatione vires corporis pessime deprimi videntur, pulsusque debilis est, verum tantum abest ut hæc signa operationem contra-indicent, ut maxime usum remediï invocent, etiamque inter ipsam missionem sæpe accidit quod pulsus plenior, tardior, et mollior fiat ; id quod probat imbecillitatem magis speciosam esse, quam revera adesse. Hæc peculiaris corporis conditio præcipue in gastritide, enteritide, peritonitide, et carditide accidere invenietur. Novi exemplum peritonitidis chronicæ (optime a Doctore PEMBERTON descriptæ), ubi septies sanguinem mittere opus fuit, antequam morbus auferri potuit.

Obscurissimæ sunt illæ mesenterii inflammationes, quibus tam proclives sunt habitus strumosi, et quæ, infaustum dictu, priusquam arcesatur medicus, corpus fere obruisse, frequentis-



sime invenientur. Ea quæ de hac re adhuc novimus, nimis pauca sunt ut diagnosin, quæ medico satisfaceret, in primo morbi stadio præberent; plures vero notæ distinctæ, et methodus medendi rationalis, nobis a BAGLIVI duobus sæculis elapsis breviter traduntur: morbum esse plane inflammatorium ille quidem putavit.

Pauca hujus morbi exempla, quæ symptomata violentiora monstrârunt, curavi usu reiterato hirudinum, et post actionem inflammatoriam subactam, lene et purgans remedium, et hydrargyri paululum administrando: ægro semper lacteis cibis vescente. Prima fausta mutatio quam accidere observavi, ea est, ut cutis abdominis functiones suas recuperat, et haud diu materia furfuracea vestitur.

Hydropis Pathologia nuperrima multum mutata est; et quamvis testimonium ab urina coagulata derivatum à Doctore BLACKALL, in iis quæ de hac re scripsit, nemini omnino satisfacere puto; attestari possum,\* quantum valeat

---

\* " Dropsies, like abscesses and gangrenous eruptions upon the skin, arise, in most cases, from the *want* of suffi-



sanguinis detractio ; et in exemplis idiopathicis, sanguinem missum speciem coriaceam ostendere inveni, etiam cum pulsus quam LXX in minuto haud frequentior fuit (nempe naturalis). Sæpe usui diureticorum hoc remedium superse-  
dit, vel saltem miro modo actionem eorum adju-  
vavit. Anasarcam, quæ tam frequenter scarla-  
tinam insequitur, hoc remedio cito et libere  
usurpato, cedere inveni.

In classe exanthematum, in fere omni stadio, ad sanguinis missionem recurrere mihi opus fuit : quoniam vero, quædam actio febrilis ne-  
cessaria ad eorum stadia constituendum videtur, in initio nunquam remedium adhibui, nisi actio solito violentior fuit : atque arbitror detrac-  
tionem plerumque sæpius in ultimis stadiis re-  
quiri : ubi frequenter adsunt membranarum mu-  
cosarum pulmonum, et ventriculi, intestinorum-  
que inflammationes.

---

cient bleeding in inflammatory diseases. Debility, whether induced by action or abstraction, seldom disposes to effu-  
sion. Who ever heard of dropsy succeeding famine? and how rarely do we see it accompany the extreme debility of old age!"—RUSH's *Medical Inquiries*.



Antequam ad finem hocce tentamen perbreve atque imperfectum perducam, fas sit mihi observare ut, præterea quod nobis optime traditur, in omnibus recentiorum operibus quæ de febre tractent;—de usu sanguinis detractionis in variis mutationibus ac stadiis morbi, inæstimabiles quædam observationes in pathologia generali a plurimis auctoribus factæ sunt, paucis ultimis jam elapsis annis; et quoniam argumenta eorum sustentur ab anatomia et physiologia, maximi est momenti studium atque applicatio eorum morbis. Nullus forsan nuperrimus auctor opiniones magis rationales vel extensas habuit, de natura et caractere phænomenorum morbi quam Doctor PARRY: etsi quidem opus ejus pereximium credo, non possum non censere ejus sententias generi vascolari nimis retinere, atque haud tribuere generi nervoso vim, quam in plurimis morbis inducendis tribuere debuit.

BROUSSAIS alius est auctor, qui, me judice, naturam phlegmasiarum illuxit, et quam pauci illi consentire velint, quum sibi placet membranam mucosam ventriculi et intestinorum fere semper inflammari, tamen mul-




ta æstimabilia quidem scripsit : prout medici attentionem eorum opinionibus ejus adverterunt, concessum est, statum morbi peculiarem “ Gastro-enterite” dictum, sæpe in pluribus morbis febrilibus existere, et præcipue in pluribus exanthematibus. Dolendum est, methodum medendi quâ utitur BROUSSAIS valde indecisam et inanem esse.

FINIS.

---

EDINBURGI :

Excudebant JAC. BALLANTYNE et SOCII





DISSERTATIO MEDICA

IN AGGREGATIS

DE

HISTORIAM ET CURAM

DE

ACUTISSIMO

ET VULNERIBUS

DE GROSSE

ACUTISSIMO

DE

ACUTISSIMO

ACUTISSIMO

DE GROSSE

ACUTISSIMO

ACUTISSIMO

DE GROSSE

ACUTISSIMO

DE

DE GROSSE  
ACUTISSIMO

ACUTISSIMO

DE GROSSE

ACUTISSIMO

DE





